

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

CARMINA

LATINA ET GRAECA

JOSEPHI DE SPUCHES.

ACCEDUNT QUAEDAM VARIORUM INTERPRETATIONES.

PANORMI
EX TYPIS PETRI MONTAINA & SOCIORUM
quondam Diarii Siciliae
1877.

JOSEPHO DE SPUCHES ET RUFFO

GALATI PRINCIPI

PANORMITANÆ ACADEMIÆ PRÆSIDI

ETC. ETC.

PETRUS MONTAINA

S. D.

Cum laudes, quibus egregii quique viri graecis latinisque literis eruditi tua prosequuti sunt carmina graeca primum, et deinde latina pluribus adhuc libellis edita, me, Princeps Amplissime, impulerint te saepe saepius orare, ut sparsa utriusque linguae membra in unum veluti corpus colligerem, et nova hac editione melius digererem, vel diligenter praestiturus quae muneris mei sunt, ne in typis et in charta nihil aliquis prae hac desideret; voti compos tandem factus, maximas tibi gratias, atque immortales ago.

Stimulos quoque mihi roganti addidit opus hujusmodi alio prelo confectum, cum tua poemata, et quamplurima variae indolis itala carmina in duo volumina aptius divisa in lucem prodiere sexdecim abhinc annis.

Sic literaria respublica quae te poematiis italicis jamdiu admirata est, praestantissimum quoque graecis latiisque numeris colat!

Certe inter assiduos tot graecarum latinarumque artium cultores recte adnumeraris; et Siculus cum sis, nihil invides doctis illis viris, qui priscam utriusque sermonis auream aetatem redolent, atque apud Italos jure meritoque florent.

Haec virtus et venus, ni fallor, maxime pendet ab recta illa studiorum ratione, qua majores nostri nobiles adolescentes liberalibus disciplinis institutos voluere; avitum potius scriptorum nostri nominis decus affectantes, quam venatorium inconsultae philologiae et peregrinae critices magisterium.

Hoc sibi nostra haec aetas unum postulat, putans, nescio an perperam, cum quibusdam Germanis, fere totum antiquae historiae nostrum penu hinc accipiendum, et populi romani origines verbis potius, specie tenus, quam rebus ipsis, et veterum traditione eorumdem verborum auspice hauriendas esse.

Obsecro ut mihi parcas, si quae de te sentio, Princeps clarissime, et de optima studiorum institutione liberis animis exprimere studui; quin etiam atque etiam obtestor ne mihi succenseas epistolam hanc, publici juris facere, tibique inscribere audenti.

Humanitati itaque et benevolentiae tuae me commendo.

Panormi XIV kal. Januarii an. MDCCCLXXVI.

CARMINUM LIBER PRIMUS.

LUSUS.

LUSUS.

I.

Cl. Viro Augustino Gallo.

Haec vetera hyccariis deprompta falerna racemis
Sint tibi, quae Melii concinit alma chelys.
Crebro dum ista bibas celebrans, mi Galle, Neaeram,
Teïa dicetur te genuisse Charis.

II.

In Cyllum.

Insignis Sophia Cyllus rebusque gerundis
Pasci inopes sumptu non patitur patriae.
Hoc et inane putat; scelus immo videtur et error
Hoc Cyllo. An Sophia est? Vulturii videant.

III.

In Eumdem.

Dives et ingenuo, Cylle, es de sanguine cretus.
Quin, bene de patria diceris et meritus;
Sed, velut in Grajos, vexit quos cymba per altum,
Increpuit jactans saxa minasque Cyclops,
Dum fastu hoc fretus probris sectaris egenos,
Cogito, num prosint jura Robesperii.

IV.

Legislatori.

Quidquid agis legum, patriae qui consulis, unum
Hoc opus est; furum comprime, caede manus!

V.

B. Delisio puerum aligerum sculpenti.

Delisium aut visit caeli puer ales ab arce:
Aut hunc, astra petit visere Delisius.

VI.

Hyella.

ELEGIA.

Unde ligustra legis frontis, queis fulget Hyella,
Ut jubar Eoi, dic, Amor, unde legis,
Aureolamque comam, crispantem flamine Veris,
Lumine sub tremulo ceu levis unda maris?
Sidera et unde rapis, queis emicat? Unde labella,
Pectora, colla, manus, quas velit ipsa Venus?
Undeque verba, modos, pellunt qui nubila, ventos;
Quos penes est animos cordibus eripere?
At quibus e scopulis potis es, qua sensus Hyellae
Cingitur, ut moriar, sumere duritiem?

VII.

Lysio Arietio vati et militi.

Proelia, seu dulces, Lysi, meditabere cantus,
Et Marti et Musis invidiosus eris.

VIII.

Rosa.

Molles jam florent violae, cupidusque fluenti
Narcissus, sylvis lilia hiulca micant.
Candicat immenso, ceu nix, in gramine bellis;
Ælina conscribit flos Telamoniadae.
Luteolique croci fulgent, rutilique amaranthi;
Omnis et in viridi syrmate gestit humus.
Dulci ore in Josae at flos formosissimus ardet,
Terrigenûm sidus Caelituumque, rosa.
Hanc vitae vitam, mitis quam Musa sequuta est,
Nostro haud delendam pectore fixit Amor.
Ditia, cur variis halatis floribus, arva?
Exsuperat cunctas haec rosa Veris opes.

IX.

In Clylium.

Doctor quod sis, pro patria quod vulnera passus,
Quod torquatus eques, consilioque cicur,
Neve tumesce, Clyli; nam in vino epulisque jocisque
Te digitis mutilum quaeque crumena velit.

X.

Sacellum.

Fur, balatro, pellex pulchrum struxere sacellum.
Neu torve adspicias! Stercore rura virent.

XI.

In Crantorem.

Rugerii vitam carpsit mortemque Cotonis
Foedas conscribens Crantor ephemeridas.
Caeditur impubes posthac a Crantore. Miror
Non ego carnificem, qui sycophanta fuit.

XII.

Pholoe.

Dum tueor Pholöen, videor mihi cuncta tueri,
Nil aliud quamvis lumina conspiciant;
At dulce os Pholöe tereti si obnubat amictu,
Cuncta licet pateant, nox mihi semper adest!

XIII.

Candidae de Brephotrophiis bene merenti.

Gloria, qua fulges, Clarii quaesita per artes,
Simplex et cultus virgineusque pudor,
Mens animi et corda infantes miserata relictos
Æquant te summis, Candida, caelitibus.

XIV.

Donum.

Si te fulgenti donarem torque lapillis,
Despiceres opibus primus ab Alcinoo.
Te meliora decent; non intellecta superbis
Excipe quae merget carmina nulla dies.
Helladi praestiterat Latioque his sicelis acte
Rebus opima bonis, clara animisque virûm.
Pignus amicitiae, Coeli, tibi mitto libellum,
Quo potuit Melius vincere Libethridas;
Millia quo Veneres fixerunt oscula Vati,
Et tenero a Psyches lapsus Amor gremio!

XV.

Carmidi Galantio V. C.

Charmi, decus Pindi, nostras nunc excipe grates,
Quod facis haud nauci tristia, quae cecini.
At non ingenio referas, sed cuncta Dolori,
Quae laudas. Luxi; congemuere pii!

XVI.

In Thrasonem.

Quid mirum Siculis probra objectare Thrasonem?
Evomat expletus caedibus hic lanio.

XVII.

Capital esto!

O duce praestanti, at nimium prognata severo,
Feminei sexus Nobiliumque decor,
Pulchra Myrilla, tace! Non sunt haec jura labellis
Horrida supplicii concelebranda tuis.
Ni sileas, referes animis male facta parentis,
Nec duce diceris, sed sata carnifice.

XVIII.

Pholoe.

ELEGIA.

Candida sidereo Pholoe suffusa pudore,
  Mixta velut rutilis alba ligustra rosis,
Simplex, femineis studiisque ornata venustis
  Sit mihi virgineos inter amanda choros.
Diligo, cui blando Siren considit in ore,
  Et cordi est virtus asperitate carens.
Et quae non aliis temnit placitura puellis
  Pepla, melos, torques et sine labe jocos.
Quam juvet in sylvis, vernanti tempore, flores
  Carpere, nec ruris spernere delicias,
Aurea palladiis miscent ubi frondibus umbras
  Citra, vel hyccariis arva rigantur aquis.
Diligo, quam turtur moriens, aut aegra catella
  Turgidulis jubeat degere luminibus;
Quam neque lacteolis ulnis gremioque fovere
  Taedet et infantem cantibus allicere,
Patria qui niveis amplexus colla lacertis
  Curarum obridens nubila discutiat.

Hanc amo: si refert magnis mirisque vacare,
Num Pistrix, Chelydrus Rinocerosve deest?
Peltatam interea Byrsen doctamque Crocoten
Qui sit nasutae fabula plebis, amet;
Et discat celeres, pedites classesque Ruthenûm
Qua vetitas possint rumpere Bosphoridas.
Audiat, an major natu gallina, vel ovum:
Morio, vel sapiens sitne, nihilve deus.
Has velit, has stupeat, cerebrum cui fluxa putredo.
Sordet in effigiem femina ficta viri!

XIX.

In Salium.

Fictus dens, oculus Salio, fictique capilli;
Ipseque falsiparens. Ne stupeas: rabula est.

XX.

Tros.

Tros aedem ut strueret, cunctos venumdedit agros.
Mox perit; haud aedem, sed tumulum posuit.

XXI.

Ceici, de Fortuna.

Utere Fortuna, praebet dum laeta capillos:
Hanc reperire, Ceix, non cohibere potes !

XXII.

Ratio.

Volvitur ut sinuans semperque revolvitur anguis ;
Sic illa est Mundi quae meretrix, Ratio.

XXIII.

In Maevium.

Res magnas praestas, Maevi; sed laudo chiragram,
Quae poterat vestras implicuisse manus.

XXIV.

Sculptori.

Sculpe : Dedit mediam ludis mediamque sopori
Vitam. Hic sit nomen. Subjice: Dives erat.

XXV.

De probrosa laudantibus.

Semper erit populus fastu confectus et astu,
Sectetur donec crimina quique probent.
Laudentur donec magnorum, falsa loquentes,
Lenones furum cantor et historicus.

XXVI.

Api.

Quid violas, citros, viridis vel germina myrti
Blandisono quaeris murmure, dulcis apis?
Scisne meae Josae modulantia dia labella?
Sunt ibi non tantum mella, sed ambrosia.

XXVII.

Josa.

Blanda Charis niveis descendens aethere pennis
Fons ubi Sisiadum laetaque prata nitent,

Caelica sensa canens mihi florea vincla tetendit,
Per nova cum ferrem gramina fors aditum.
Captus tunc cecidi; hinc laetus mea vincula adoro.
Tale melos Josae tantaque forma fuit.

XXVIII.

Eidem.

Solvere si nitidam cupias redimita corollis
Caesariem, Jose, diva Amathuntis eris.
Spumea cornipedis quatias sive ora lupatis,
Instar amazonidis conspicerere ducis.
Iuverit aut Charitum blandas celebrare choreas,
Te dicent omnes, corde micante, Charin.
At si Thespiadas resones, dulcissima Vatum,
Haud aliis fies aequa, sed una tibi!

XXIX.

Cloelio.

Diceris ingenuus, Cloeli, cordatus, honestus.
Sic habet; at tecum nil mihi adesse velim!

XXX.

In quemdam.

Ne maculer, sileo; victor victusque rubescam,
Dypsade cum foeda, si mihi pugna foret.

XXXI.

In binos Marcos.

Fatur Marcum unum muscarius ille Tyrannus
Consuluisse; duplum sed modo Caesar habet.

XXXII.

Certamen.

Esto ! Certemus cantu; sed laeva palestra est,
Si pudor est vinci, vincere amarities!

XXXIII.

In quemdam.

Quid tibi cum doctis ? Crepidas quem lingere vappis
Iuverit, haud Pallas, sed fera bubo decet.

XXXIV.

Imitatores.

Verterium versant animis casusque Joannis
Ancus et Anchialus: furtaque Pylla Jovis.
Se necat ille, jacet claustris hic, fornice Pylla.
Quaeque furit vates, caeca juventa luit.

XXXV.

De Hyccarae Monumentis.

Elegia.

Ad Galeritam.

Prima, galerita, Eoum quae voce salutas,
Pieridas resonans arva per hyccaria,
Remigio alarum tranes sic nubila caeli
Semper, et inflectas gutture fusca melos;
Sic teretes caveas casses, foedique inhiantes
Bufonis fauces rostraque vulturii!
Dic at Hamadryasin, Faunis Satyrisque petulcis,
Dic alienigenis quot monumenta vides;

Magnarum quanta his specubus sint ossa ferarum,
Barrire audierat quas Epimethis anus.
Detege signa canens, quae jam detruserat Ætas
Nil magnum patiens enituisse diu!
Dic decoris quantum subvertat durus arator
Magnanimûm temerans vomere busta virûm.
Te duce, quae temni dudum vix nota solebant
Reddita sint claris Artibus et Sophiae.
Concine daedaleas arces urbemque sicanam
Vastatam gladiis igneque Cecropidum.
Pacta Syracosiis tulit haec discrimina, luce
Carior ingenuis cordibus, alma fides!
Obstrepe; musivi miranda operisque memento,
Oppida, templa, ferus quae populavit Arabs.
Obstrepe, ut exsiliat deducta ad lumina Solis
Gaza sepulta, vetus gloria Trinacridos!

XXXVI.

De Lindae Carminibus.

Ter mihi, ni numeris Lindae fidibusque canoris
Cesserit et Phoebus, basia figat anus!

XXXVII.

Arctophylax.

Pannosus quondam, cives nunc despicit omnes,
Fortuna elatus furcifer Arctophylax.
Summa sed ad regni vectus fastigia, demens
Laetitia imperii constitit haud sibimet;
Quid mirum, labens repetat si lustra Suburae
Hic modo Sejani syrmate conspicuus?

XXXVIII.

Tros.

Tros quadruplator jurarat, pectore tacto,
Pro patria in cineres mejere velle patris.
Arbiter at dein ut rerum foret Urbis et Orbis,
Rem patriam crepuit mente fovere, manu.
Emeritum Vigilem posthac, flagrante tumultu,
Furatur vetulum, torquet et interimit.
Proximus at lictor meritis Tros hisce relatus
Fronte tribunicia carnifices moderat.

Publica res tandem effluxit, ceu Sole pruina;
Sed civi emerito regia ofella datur.
Auserit obducta jam nunc quis fronte negare,
Troa super cineres mejere posse patris?

XXXIX.

Callirhoe.

Ausonidis cycno placuit pulcherrima Laura
Non ita, cum gelidas nuda nataret aquas,
Ut mihi Callirhoe strophium dum laeta lavaret,
Quo solet aureolam cingere caesariem.
Lumina, colla, genae tum nil mortalis habebant.
Sidereum quodvis fuderat illa melos!
Tunc ego, qui fueram semper sectator Amoris,
Victus acidaliis aestibus interii!

XL.

Batrachus.

Elegia.

Pulchra canis, reges, mores et jura parentûm
Et Superûm ridens, Batrache, pulchra canis.

Et merito! Natus referat cur munera pàtri,
Si sata delicio, vi soboles oritur?
Quid jus, quid virtus? Esto cerebri excrementum
Mens animi; capuli Nùmina caesa decus.
Cunctaque sint cunctis; fas esto quaeque cupido,
Quodve fames auri, caeca vel ira jubet.
Et bene sit Lenis, Satyris, Bromioque, Syrissae,
Idaliaeque Deae, legiferoque Chao.
Plaudite, stentorea Vati, qui voce coaxat:
Plebs, sat amavisti; nunc decet ira, cruor!
Sùnto bisultori at rabulae potiora, ferenti
In legum tabulas Synnida quaeque juvant!
Auribus arrectis istaec mastigia, vappa
Audit et e tesquis, corde favente, latro
Obridens lepide, patulùs ceu rictus onagri,
Qui caput attollit comparibusque rudit.
Haec nova pollinctor credat, nec gesta Bocoldis,
Nec lacedaemoniis cognita calvitiis.
Et manibus plaudat qui de nutrice papilla
Primitus in casses decidit omnivolae;
Miles et evasit, vates, ludique magister,
Consiliisque, pilo non fruticante, potens.
Ast modo, dic quaeso, non est tibi culta, decora
Conjux, nec dulcis, Batrache, Batrachides?

Hos quoque, ceu flores adversis imbribus actos,
  Ludrica vis darier, Batrache, Centimano?
Stemmane vis cunctis tribui, quo flumina linguae
  Principibus placuit condecorare tuae?
At cui tot signis praestans et marmore fulgens
  Haec domus extruitur, rhedaque quadrijuga?
Stragulaque et baccas cui vectat, fulminis instar
  Ignipotens, findens aequora cana, celox?
Aprum cui condit, rhombos, aut anseris hepar
  Mistyllus pistor, vel Taratalla coquus?
Et cui, ni tibi, nectareas paritura cavillas,
  Burdigalae, aut Catinae praela liquore madent?
Ast hoc tu fastu, his gazis, hoc aûctus honore
  Gentiles caveas, discipulosque tuos!
Nam tua dum Sophia et vecors clementia legum
  Incitat effraenos in scelus omne viros,
Tu quoque, quem mûlcet jam nunc levis aura popelli,
  Indigna heu! poteris, Batrache, multa pati!
Faece sato plebis, gentili est nota, perempto
  Te pueroque tuo; quae sibi praeda manet.
Quid tum si tonsor, famuli, scortilla, coloni,
  Quos facis edoctos nil superesse Deûm,
Sive sciens nutrix asini jugulare capillo
  Viscera lactentûm, morigeri huic faveant?

Quid, tua si laetus peragras dum rura, requirens
Aurea multa latro teve, tuosve capit?
Heu! male spelaeo torquebere fixus, ut alis
Stipitibus, clavo perfodiente, corax!
Caedet, ni solvis, clunes artusque vorandos
Ilice depensos extaque vulturiis!
Attamen hic vobis praestat; nam cursor et heros,
Batrache, quaeque canis perficit ille manu.
Infremis? An ceram posces sordente Galenos
Ulcere? Mulcibero non sine, salvus eris!

XLI.

Ad Divum Thomam.

Thoma, valere jubet Tellus te, Pontus et Æther
Fulgentem clare moribus, ingenio;
Namque Sophos inter, lustrat quos lumen Olympi,
Nil, plus te, Aligeris vidit adesse Dei!

XLII.

Equiti Archipresbytero J. B. Mactio V. C.

Si, veluti exopto, quidquid gratique, bonique,
Macti, praebebunt Numina magna tibi,

Nestoreos annos, divi famamque Maronis,
Auritusque Midas quis inhiasset, opes ;
Justior haud fieri poterit sententia Caeli,
Et me non ullus laetior inde foret.

XLIII.

Eidem.

Sint tibi felices, Jano veniente, Kalendae,
Macti, Maeonides cui dedit ipse Chelyn.
Icona saepe tuam quaerens numerosque canoros
Sum tecum et nitor fulgida signa sequi.
Nitor at incassum! Nubes Jovis ales Olympi
Ignipotens tranat, stagna lutosa fulix!

XLIV.

Joanni Baptistae de Spuches Schysoi Marchioni
Patruo benemerito.

(LOQUITUR PUERULUS)

Omina, mox deflens ingressus liminis oram,
O patrue, optarim pulcra referre tibi.

Me mare, sollicitûm laetantur pectora patrum;
Ornat et halantem multa corolla domum.
Crastinus o! surgat Phäeton, ut lustrer ad aras,
Jane, tuoquo sacris nomine dicar aquis!
Semper eris posthac, faveant si Fata, nepoti
Lux mihi, tu columen, tu pater alter eris!

XLV.

Eidem.

Intuitus acies, qua mens tua dia refulget,
Intima si posset cordis adire mei,
Sive meum quiret dignis cor pandere verbis,
O patrue, affectus, quos memor intus alit;
Tum nitide inspiceres quot solvere debita vellem
Pro mihi collatis comiter officiis.
Lenis at innumeras, quaeso, nunc excipe grates,
Quas animis foveo, quas tibi reddo silens.

XLVI.

In Asturem.

Omnia, se dempto, fastidit turgidus Astur.
Quid mirum? Dempto se, nihil Astur habet.

XLVII.

Veritas.

Desine, scite senex, alio perquirere Verum.
Nos manet hocce Pyri villula in aeditui;
Utraque ubi posita est transverse tibia crurum,
Cui caeca insidit denteque Calva minax.

XLVIII.

In Obizum de-Malmaison.

Sit *mala* vestra *Domus* Furiis et Manibus irae;
Inque malam possis, conditor, ire crucem!
Gloria summa lyrae, seclis jam quinque peractis,
Italiam segnem carmine dixit anum.
Postmodo, sed vernans jucundo flore juventae,
Visa fuit liguri patria Demophilo.
At nunc *aedes* ista, colunt quam progredientes,
Molliculam pupam dictitat Italiam.
Pupa tenella, cave; ni sistas, ni ruat *aedes*,
Matris eris magnae cras repetenda sinu!

XLIX.

Quid Vatem deceat.

Elegia.

Carcere, caupona cantetur morbida Cochî
  Hellespontiaco fabula grata Deo.
Grunniat e ganeis sic Lala relatus ad aulam,
  Fercula vinosi Satrapis olfaciens.
Nos decet ingenuo sectari carmine Vates,
  Qui resonant itala parta tropaea manu;
Commoda vel patriae, civilia jura latronum
  Perdita flagitiis, fortiter adserere.
Plaudimus hinc semper, Xiphiae dulcissime Cantor,
  Sive tuis numeris, Vaglica, sive tuis.
Nam, velut Eridanus vitrea delabitur unda
  Maximus, et Zephyri lenis ut aura gemit,
Plurima sic vobis nulli cessura renidet
  Enthea vis animi, sidereumque melos!

L.

In Theodulum.

Cur, Theodule senex, Beroen sequerisque Myricen?
  Falleris! Haud sanguis, lotia prurierant.

LI.

In mulierem formosam, sed fatuam.

Cur tibi sunt dulcem spirantes Cyprida vultus,
Labra rosis, oculi sideribusque pares;
Auro cur praestant effusa flagella comarum,
Atque ebur exsuperant pectora, colla, manus;
Si, velut othrysiae, frigent tibi corda, pruinae,
Insidet et tacito nullus in ore lepor?

LII.

De puerorum institutione

ELEGIA.

Dent jugulum Vates! Pimplaeo cercopithecos
Proderit, aut onagros defricuisse sale?
Abdita sed dicat quae vis me flere, Camoena,
Quisquis vespillo Cypridis et Charitum;
Quisvis et renuat sinuosa cacumina Pindi
Aoniaeque tuos pascere cornipedes.
Num bibet haud posthac claras Aganippidis undas,
Nec canet assiduo gutture dulcis olor?

Entheus occubuit fulgor virtutibus aptus,
Quo mille ex Nihilo dissiliunt Species?
Sidera pulcra, aer, flores et amoena silete
Arva, anima aut quaevis intima corque gemat!
Cedat et Amphion! Orphei portenta valete,
Cogere quae decuit foedere semiferos!
Imperet at lucri obsequium; sint pondera praeter
Auri, nil Virtus, Forma, Decus, Pietas.
Frollius edoceat pueros, vel femina bufo,
Verpumve erronem qui cecinere sues.
Dogmata tamque magis natis versanda legantur,
Quam plus obtortis abdita climacibus!
Dicite, io! patres, Divos figmenta Poetae;
Spumaque sit coeni chrysalis haec meditans!
Sentiat, aut noscat quod se, nil credite in illa,
Flagitiis obstans et benefacta probans.
Absit Amor; regnet Robur; dent jura Cyclopes;
Bella vetare nefas; ira furorque juvent.
Nupera sic rerum series; sic quilibet Irus
Amphitryoniadem se simulasse putet.
O belli et pacis sceptrum teneatis in aevum!
Euge, triumphe! Patres, plaudite.... At interea
Vestra Myrilla canit Satyris quae digna protervis,
Vester et impubes ulcere putret Acon.

Furatur, jugulat fratrum fraterrima Plejas,
Eumenidumque faces tetra popina parat!

LIII.

In vecordem.

Sic Umbram cari fratris, ditissime vecors,
Placas? Lacrimulae semideosne juvant?
Iuverit infantum heroas simulare querelas,
Fundere et acclini vertice supplicia?
Non ita Cebrionis Manes lustraverat Hector;
Non ita, sed Patroclon sanguine Peliades!

LIV.

De bello Turcico imminente.

Fallimur? Aut pessum Europae decedet ab oris
Turcigena, Europae vulnus et opprobrium?
Fallimur? Aut Scythiae victrici foedere junctis
Reddentur nobis, advena quae rapuit?
Surge, beata dies, qua ex Alpibus usque Pahynum
Nil glebae haud italum, quod tueamur, erit!

LV.

Graeci Epigrammatis Fulginii reperti

PARAPHRASIS.

Dis Manibus.

Cressa viro felix hic sum Lyca condita. Jussit
Regia Roma viros me sica caedere bello.

LVI.

Graeci Epigrammatis Liparensis

IMITATIO.

Dis Manibus.

Gentis Cappadocum, nostis qui florida rura,
 Illic ingenuis patribus ortus eram;
Quos liqui occiduum peragrans et littus eoum;
 Nomine sum Glaphyrus dictus et ingenio.
Sex decies natus cecidi liberrimus annos;
 Sors laeta, et tristis cognita vita mihi !

LVII.

Inscriptionis graecae panormitanae

Paraphrasis.

Hic Lucilla jacet Nasoni juncta venusto.

LVIII.

(Ex marmore graeco siracusano)

Paraphrasis.

Luscinia interiit, nautis quae taedia mulsit,
Concinat ut Superis Cypridis e gremio.

LIX.

Paraphrasis Graeci Epigrammatis Tauromenii, ad Divi Pancratii, olim Serapidis aedes reperti.

Dis Manibus.

Hic Serapis colitur sacro de limine; puram
Aram Barcaeus Carneades posuit

Eucritides: hospes, fani qui sacra ministrat,
  Pythia ei conjux, et soboles Eraso.
Idcirco, o moderans sublimia tecta Tonantis,
  Iucunde vitam tempus in omne gerant.

LX.

Vox.

(Ex Melii Carminibus)

Elegia.

Hac circumfusas dulci, quae personat auras,
  Voce, cupidinibus pectora nostra flagrant.
Parvorum haec pennis caelo raptatur Amorum
  Desiliens, saliens, vel modo fixa manens.
Nostrûmque imperio pollens, urensque medullas,
  Ut volupe, affectus obstruit et reserat.
Suavia cum simulet cordis suspiria, dices
  Cyprida Thespiadum personuisse chelyn.
At cum vibrissat tremule, gestire videntur
  Mons, mare, rus, aether, lumina Caelicolum.
Si quid et abruptum Musâ modulatur ovante,
  Aura haeret vitae gutture, corda micant.
Postmodo, deficiens cum leniter extinguatur,
  Tunc, an deficiant pectora, dicat Amor!

LXI.

Naevus.

(Ex Melii Carminibus)

ELEGIA.

Sis macula, aut naevus, quis te felicior extat?
O tecum sistam pectore tam nitido!
Quam bene in intactis nivibus, ceu stella, renides!
Quam mihi, te propter, guttura, cor trepidant!
Cervicis servas geminas sub limite turres
Arcis, perpetuo quae vigilanda tibi.
Si qua manus temere, vel fors, obrepserit illuc,
Fronte, superciliis, ore tonesce minax!
At mihi deficiant si sensus, arbitriumque,
Jura sodalitii, naeve, memento.... Sile!

LXII.

Comae.

(Ex Melii Carminibus)

ELEGIA.

Eheu, quae rabies, quotque evenere tumultus!
Curre, Venus, propera, comprime dissidium!

Agmina parvorum, queis desunt lumina, Amorum
Hinc, illinc pugnant, dilaniantque comas.
Dentibus audacter certant, manibusque vicissim:
Mittit hic intorquens spicula, et ille faces.
Mancipia hi cum dividerent sua, pectora amantum,
Orta mali tanti maxima caussa fuit.
Audiit, et clamans genetrix Dea pulcra Citeres
Advolat, hosque minax edit ab ore sonos.
Ergone nulla dies labetur, nulla vel hora,
Quin vos compescat pax, animique quies?
At dum nil prodest cordis clementia nostri,
Degener o soboles, plangere te jubeo!
Postmodo, ut incassum cecidit quodcumque loquuta est,
Omnes mulctandos carcere corripuit,
Exiguisque auri filis radiantibus alas
Implicat instabiles, indocilesque ligat.
Siste! Nihilne facis jam nunc mea vulnera, Cypri,
Quod fodicas ignes, quîs mea corda flagrant?
Auratos inter cinnos (queis aestibus uror!)
Insiliens volitat quisque pusillus Amor.
Nulla datur requies illis; hic volvitur ardens
Sub tereti strophio, quo tegit illa caput;
Mollibus e Zephyris alius solamina quaerit,
Et quatit assidue fulgida fila comae.

Candida colla tenent alii (nec pulcrius ullum
    Est ebur) et faculas telaque conjiciunt.
Quae spes dein vitae? Heu quot me invasere tumultus!
    Tanto in dissidio vivere cui dabitur?

LXIII.

Viola.

(Ex Melii Carminibus)

Elegia.

Insons o Viola, haud es formosissima florum;
    Attamen est tecum nescio quid superans.
Floribus hoc aliis etsi collata refulges,
    Ut sol, quo pallent sidera cuncta poli.
Eminet alta rosae majestas lumina laedens;
    Illius et fastûs agmina multa petunt.
At mage, qui blandus prodit tibi spiritus ore,
    Blandus et obtutus corda tenella movent.
O dulces oculi, quis vos hominumque, deûmque
    Dum videat, poterit non in amore mori!

CARMINUM LIBER SECUNDUS

TRISTIA.

I.

De Custozae peremptis

ELEGIDION.

O cari cineres, Italae lux optima pubis,
  Custozae tellus quos scelerata tegit,
Spes, amor Italiae nuper, nunc funera, luctus,
  Nostra heu! vobiscum fata sepulta jacent.
Pro patriae heroes vos libertate peremptos,
  Donec erit virtus, Fama loquetur anus.
Vos specimen natis serisque nepotibus estis,
  Qui patriae discent, non sibi seque satos.
Salvete, illustres animae! Vos Numinis aula,
  At nos ulcisci vulnera vestra, manet!

II.

In funere Vincentii Schirò V. C.

Omnia diffugiunt heu! nostri sidera caeli!
  Dirus ab Arctoon axe comoeta rubet.
Optime tu Vatum, siculae quem dulce fovebant
  In gremio Charites, tu quoque, Schire, fugis.
Additus Aligeris, qui caeli templa frequentant,
  Munera virtutis non obitura refers.
Amplius at latios, italos, numerosque pelasgos
  Quis doceat, patriae quos tibi dixit Amor?
Nostris idcirco semper sub cordibus haerens
  Flebere, et hic vives nomine, carminibus.

III.

De Narcisso Cottio.

Pulcher, uti sidus, sospes labentis amici,
  Proque Italis pugnans, Cottius occubuit.

IV.

In funere Catharinae Scotto.

(Loquitur sponsus M. Grillus)

Pulchra, hilaris, frugi servasti, sponsa, pudorem:
  Canduit, ut lanae vellera, vita tibi.
Et nunc, o Cathari, immiti eheu ! funere mersam
  Te quaero illacrimans; nec revocata redis !
Dulce tuos dulces mihi vultus nocte dieque
  Fingere, ad Elysios te mihi dulce sequi !

V.

In funere Clylies Vespignani virginis clarissimae.

Cur lacrimas, Clylie, fundam, flos grate Minervae,
  Nunc tibi, cum reputem te superesse neci?
Vivis adhuc, Lethe nequaquam obnoxia, fulges
  Cordibus in nostris, ingenio et specie.
Atque relata polo vivax laetabere semper
  Vita ubi vera, Deûm deliciaeque manent.

VI.

De morbo milliari modo ingruente.

O Patria, o dudum Superis, nunc cognita Diris,
  Quam saevum heu! pueris imminet exitium!
Nec nostrae Inda lues, civilia et extera bella,
  Scironumque nefas suppetiere neci,
Quod luteo ex Arno siculas par esset ad oras
  Gorgona vastatum desiluisse novam?

VII.

In funere Pholoes.

O utinam fiam, te pone sepultus in arvo,
  Flos telamoniacus, pallida seu viola!
Sic mihi fas esset roseo cum Vere quotannis,
  O Chari jam Charitum, plangere te, Pholŏe!

VIII.

Nihil.

Decipimur miseri! Quid gazae, gloria, vita?
  Mors sola imperitat; caetera, fluxa, nihil!

IX.

In busto Felicis Bisazza Vatis clarissimi.

Neve triumphales titulos et stemmata finge;
 Attamen huic busto fama perennis erit.
Sculpe: Domo, patriae Felix caeloque fidelis
 Hic jacet, ausoniae gloria magna lyrae.

X.

Paraenesis.

Vive memor lethi, fili mi, et criminis expers;
 Nam bona Mors superest, cui bona vita fuit.

XI.

Dulce mori.

Est mihi dulce mori foedaque excedere terra
 Tempore, quo tutos non licet esse probos!

XII.

De Aurora.

Elegia.

Cernitis, ut tremulis crispet fulgoribus aequor,
  Nuntia dum Solis pulcra reducit equos?
Exsuperant aurum montes vallesque nitore,
  Noctis et obscurae diffugiunt species.
Cantibus en sylvae resonant, laetaeque volucres
  Alarum tranant aethera remigio.
Abdita jam specubus redeunt animalia quaeque,
  Quo latices saliunt, arvaque laeta virent.
Expers insomnis curae surrectus arator
  Rus adit, at natos cor dominamque refert.
En fremitus vitae diffunditur undique; mentes
  Nescio sidereum quid sine fine petant.
Numinis en cuncta ex manibus modo nata videntur;
  Cuncta micant; uni sed mihi fletus inest!
Occulit heu! tellus ambo mea sidera vitae....
  Hinc dolor, hinc lacrimae, spes mihi sola mori!

XIII.

Ad Musam.

Tu, mihi primus amor, summam tot funera flenti
Solatura diem, candida Musa, veni!

XIV.

Sub Icone Ducis Josephi De-Spuches et Amato avi mei ex patre.

Obsedit Mauros, moderavit castra Panormi:
Ejecit Gallos finibus Æthaliae.

XV.

Eidem Victoriaeque ejus conjugi

Epicedium.

Salve, care cinis patris venerande parentis;
Accipe et inferias, quas tibi mitto nepos,
Te digne memorans, primis qui miles ab annis
Gessisti in saevos aspera bella viros,

Ausum queis inerat foedumque, ut busta reclusa,
　Guttur Oretigenum contemerare decus.
Fregisti Mauros, pepulisti Marte superbos
　Ex Ilvae Gallos Trinacriaeque fretis.
Ipseque consiliis pollens et juris amator
　Arci praefueras militiisque domi.
Nec te deliciae Aonidum latuere, nec illud
　Magnanimi calcar pectoris, historia.
Fronde ita cum quercus, laurique et pinguis olivae
　Alba ligustra, rosas educat almus ager.
Sed miserûm pietas, Joseph, solata dolores
　Relligioque tibi gloria summa fuit.
Hinc inopum patrem te flet Carthago, Calacte
　Inclytaque urbs Tauri, quae tibi mater erat.
Et tu, cum siculus praevertens saecla Senatus
　Decrevit populis reddita jura suis,
Sanguine materno junctus consorsque Cotoni,
　Cessisti populis commoda et imperium.
Munera sic sibimet, patriae et quae debet Olympo
　Dives et ingenuus, functus es usque lubens.
Ast ego verba potis quae sum tibi grata referre,
　Magna repensurus quae benefacta tuli?
Nam bona tu nobis incorruptumque dedisti
　Nomen luminibus carius atque anima.

Gemma puellarum per te, quas Æsar alebat,
  Lecta fuit generis conjugiique jubar:
Illis par mulier priscum quas praetulit aevum,
  Casta, hilaris, prudens scitaque, grata Deo.
Quae vel apelleas callens et Palladis artes
  Consuluit rebus, te pereunte, laris.
O mihi tu puero et juveni, Victoria, nuper
  Addita Caelicolis, altera mater, ave!
Tu me civilis fureret cum bellica pestis,
  Tela per et flammas armigerosque viros
Lymphatae ereptum et saevae nutricis ab ulnis
  Salvum rettuleras incolumemque patri.
Æsaris et petii per te qua labitur unda,
  Auditum veteres quae cecinere sophi.
Idcirco illustret Phaeton seu lumine Mundum,
  Phasmata vel reserans occupet umbra polum,
Ante meos animos ludet tua semper imago,
  Martia, sed comis, fronsque senilis avi!
Semper vos éritis cordis pars maxima nostri;
  Vos canet a vobis quae mihi facta chelys!

XVI.

Ad Musam.

ELEGIA.

Dum Romanioli flores frondesque virentes
Halans egelido flamine Chloris agit,
Et laticis Charitum chrystallina lympha susurrans
Littora in immensi labitur Oceani,
Quis te non memoret ? Quae te, pulcherrima Divûm
Musa, fides sileant ? Qui tibi serta negent ?
Auspice te, rupes, nemorosa cacumina, valles,
Æquora vitali prosiluere flabro !
Nec tibi tranantí caeli convexa resistit
Turbo, vel effusis horrida stella comis.
Te prope, fatidicum lumen sub corde coruscans
Tartara flammivomis replet imaginibus.
Ad nutumque tuum Manes et Numina Olympi
Et Pelagi et Terrae sceptra verenda tenent.
Molliit Œagrius per te sylvestria corda;
Movit et Amphion aspera saxa chely.
Per te flexanimas fundens Philomela querelas
Pro natis, caro conjuge proque suo,

Implet floriferos Sisiae dulcedine campos,
Luctibus heû ! miseris consociata meis.
Si Divos, Patriam, Libertatemque cupitam
Magnanimûmque canis fortia facta virûm,
Tunc juvenum mulcet praecordia sancta voluptas,
Qua fit pro patria dulce fideque mori.
Te duce, dilectam Josen, carosque parentes
Dum queror exanimos, obvia Josa venit.
Nubibus insidens, Solis redimita nitore,
Respondet lacrimis saepe vel ipsa meis.
Quare te crucias, fatur, cur tempora vitae
Questibus absumis, me periisse putans ?
Æterni evenere dies, jubar adque perenne
Claudere sum quando visa, retexi acies!
Aspice! Sideribus variis ornata refulgent
Caelica templa Dei, nostra beata domus!
Nobis qua rerum obductas caligine caussas,
Mentis et intuitu Numen adire juvat.
Hic resonant Triadis laudes, coetusque canentes
Aligerum puerûm tinnula sistra cient.
Nulla cupido flagrat mentes hic, curave nûlla
Pectora sollicitat, nec pavor ullus adest;
Alma sed hic exstant Pacis tutissima dona;
Amissosque probos hic reperire licet.

Aspice quos dulces lacrimis precibusque parentes
Prosequere; en instar Solis, uterque micat.
En tua blanda parens, Marie dulcissima rerum,
Quae Superis forma, moribus aequa fuit.
En Anthon genitor, miserûm spes, sidus egenûm;
Laudibus hunc ornans Triquetra tota gemit.
Namque olli haud fastus, nec gazae dira cupido,
Candida nec fraudes pectora polluerant;
At cordi fuerat, gemma praestantior omni,
Simplicitas, Pietas, firmaque Relligio!
Sed modo cur luges? Divos neu fleto! Quid illic
Sistis adhuc? Obsint ni tibi Fata, veni!

XVII.

In obitum Josephae Turrisi-Colonna conjugis dulcissimae.

Elegia I.

Occidit, heu! lacrimis nequaquam Fata moventur,
Quae fuerat cordis firma columna mei.
Heu! terra est Josae vultus pulcherrimus ille,
Qui micuit forma proximus aetherea.

Pulchra labella silent, poterant quae dulce canendo
Semiferam saecli vincere duritiem.
Gloria Sicelidum et vitae mihi perdita caussa est.
O Mors, me admissis gressibus insequere!
Dulce sed interea fletu decorare Supernam,
Quae mihi primus erat, quae mihi solus amor!

XVIII.

Elegia II.

Laetae et felices platani, laurique virentes
O Romanioli, quas mea Josa petît;
Littora et audistis quaeque illam dulce canentem,
Quaeque refertis adhuc et sua signa pedis;
Umbrosae o citrûm sylvae, quo saepe redibat,
O rutilae, legit quas mea Diva, rosae;
Fontis Oretigenae latices Sisiaeque nitentes,
Mersit ubi niveas saepe vel ipsa manus,
Ad vos cum redeo, trepidant mihi pectora, sensus
Sedibus absque suis corque, animusque fugit.
Ast heu! cur volucrum vetitum me inducere pennas,
Exsiliens ut humo te, mea Josa, petam?
Vel cur non fiunt animi mihi pectus et omne,
Te digne ut celebrem, guttura lusciniae?

XIX.

Elegia III.

Blandior obtutus acies, formosior unquam
Non fuit hac species, fulgidiorque coma!
Praestitit harmoniae, qua pollent lumina Mundi,
Eloquium Josae, sidereumque melos!
Ex his pendebat penitus mea vita, sed hisce
Nunc fruitur Numen, Caelicolumque Chorus.
Quid mihi nunc remanet? Quod vitae dulce levamen?
O secum in Caelis impetret esse mihi!

XX.

Elegia IV.

O circum, Philomela, volans per amoena vireti,
Flebiliter memorans quae cecidere, dies;
Si, veluti proprios, quires cognoscere luctus,
Qui sine spe toto pectore me cruciant,
Dixeris ipsa tuis nostros praestare dolores;
Nam tu, quem flagras, forsitan invenies!

Sed me non repetet mitis, dulcissima Jose,
Numina quam dederant, et rapuere cito.
Extitit huic similis species nova, priscave nunquam;
Heu, Superis compar conditur hoc tumulo!
Hîc Musae, Pietas, abduntur Palladis artes,
Spes, amor et vitae maxima caussa meae.
Nam mihi per caecam rutilans clarissima noctem
Stella animae haec aderat, dux et amica mea.
Hanc Deus, ornaret qua caelos, abstulit! Omnis
Cui decor et virtus contigit, una fuit!
Haud illi studium nardo conspergere crines,
Nec linere effictis ora, labella, rosis;
Plaudere nec choreas, aut texta monilia collo
Nectere, vel somnos fallere nocte jocis..
At decus ei fuerat doctis pallescere chartis,
Et digitis italam personuisse lyram.
Nec pecudes, lusus effoetaque Numina Olympi
Dicere, nec lubuit regna Amathusiados,
Enceladonque minas audentum scandere caelos,
Casside et indutos Sinnidas Æacidae;
Sed, moriens ut olor, divina voce canebat
Quaeque domus, patriae, consulit almus honos;
Enthea dictarat vel quaeque, altissima Virtus,
Vertex cui radians Æthera, Terra pedes;

Pectora cui Pontus, cui lumina, sidera caeli;
　Cui Mens est rerum quod fuit, est et erit.
Et nunc, vix novies Phoebe compleverat orbem,
　Ex quo caelestis te mihi junxit Amor,
Nunc, heu! cum vernans floreret temporis aetas,
　Te mihi diripiunt barbara jussa Deûm!
Occidis, o conjux, ceu flos deperditus Austro,
　Ceu sua, quae placide fata columba subit!
Cur te, cur natam, vix es quam enixa, misellam,
　Nec potius busto me Libitina dedit?
Nunquam te visam posthac? Semperque silebunt
　Unanimis vitae dulcia colloquia?
At scelus hoc placuit Fatis... Placuere... Quid inquam?
　Luduntur lacrimae! Quid sumus? Umbra, Nihil!
Quid mihi, si Patriae voto tua dulcis imago,
　Te sine! consurgat marmore conspicua?
Eheu! Num viduos signum solatur amores?
　Te sine, quid cupiam, quid mihi dulce rear?
Quid mihi, si niteant Ver, sylvae, rura, polique?
　Nostraque nec posthac carmina sint volupe!
Insidet ast animis lethi mihi sola cupido:
　Et quidquid tueor, tu mihi semper ades!
Dum vivam interea, non frons his vallibus hiscet,
　Fontibus his vitreis gutta nec exsiliet,

Quae me non videat plorantem nocte, dieque
Os, decus, ingenium, verba, modosque tuos!
Sed cito te repetam, tecumque hac condar in urna;
Occidet et nullo tempore noster amor!

XXI.

In funere filiolae meae desideratissimae.

Nata, per ora virûm volitans, caeloque potita,
Non tua, nam Diva es, sed mea damna queror;
Tristia, sed quaeso, mea lux, mea suscipe Nata,
Quae mea mi flevit sola Camoena, Dolor!

XXII.

Filia, nuper amor, nuper mihi dulce levamen,
Occidis ante diem, fulgida stella domi!
Quae me, quae miseram eheu! matrem taedia vitae
Posthac, qui luctus, te pereunte, manent!
Delapsa e caelo, matris, moestaeque sororis
Pone modum lacrimis, vivere ne renuant.
Sed me, supplicio cui vita simillima, tecum
O Maria, ut veniam, filia sancta, voca!

XXIII.

Dum mea tabescunt crudeli pectora luctu,
Quis me dignatur carmine dulcis olor?
Rossius est, Orphen cui fas aequare canendo;
At cur non itidem flectere Fata potest?
Si quiret.... dempta o mea lux, mea blandula Nata,
Esses semineci mox reditura patri!

XXIV.

Truncus alor putris, cui vitae nulla cupido....
Flos hic sidereus carpitur ante diem!

XXV.

Filia!

Elegia I.

Fulgurat; icta sonant ingenti grandine rura;
Horrentique urbem turbine quassat hyems.
Terra tremit; sylvas vellunt e stirpibus Euri....
Concutit at gravius pectora nostra dolor!

Hei mihi, natorum Maria o dulcissima, matris
  Delicium, vitae deliciumque meae,
Cur te, candidior qua virgo haud extitit ulla,
  Barbara Mors nostro sustulit e gremio?
Haec, tibi post denos sextus cum fulgeret annus,
  Qui ferre innuptis dulcia dona solet,
Gemmea serta comis, taedas, dotesque paratas,
  Hoc digni juvenis detulit obsequium?
Nec tua te pietas, saevas compescere tigres
  Quae poterat, juvit, sidereusque pudor?
Nec vigor ingenii praepes, quo carmina nosti,
  Albula quae resonat, Sequana, vel Thamesis?
Quôque melos, choreas scita es deducere, acuque
  Pingere, vel calamis, rura, vireta, Deas?
Hei mihi! frondescunt arvis aconita, rubeta;
  Candida cumque rosis lilia secta cadunt!
Heu! fures, Baccasque manet dum longa senectus,
  Impia virginibus parcere Fata negant!
At, Pater omnipotens, Mundi cui summa potestas,
  Et necis et vitae quem penes, arbitrium,
Aspice nunc animas anima quot perdis in una,
  Et capitis damno flectere, quaeso, mei!
Sit mihi pauperies, torpor, vecordia mentis,
  Ire per Othryadum tela, venena, focos,

Nata mihi at redeat! Natam mihi redde parenti,
Alme Parens, matri reddita sit Maria!
Reddita sit matri, quae jam confecta dolore
Liquitur, et Mariam nocte, dieque vocat.
Spesque suas deflet, vanos partusque labores....
Flet natae vultus, ingeniique decus!
Sola relicta soror, complens ululatibus auras,
Nunc laniat fusas per sua colla comas:
Nunc amens fatur, secum velut illa sederet,
Ereptaeque manum visa tenere manu.
Nunc demissa genu, figens in imagine Divûm
Lumina, ceu signum, frigida, muta manet.
Eheu! quae fieri poterant nec fecimus ultro?
Quae fuit haud lacrimis ara piata meis?
Quae sacra virgo Deo votis mea vota fovere,
Omina quis renuit mysta referre bona?
Quin miseram visens medica qui maximus arte
Iussit ovans matrem demere tristitiam.
Nec sinit impexis aegram nutasse capillis,
Cultum et femineum deposuisse suum.
Nec tres, quos torquet pueros pia cura sororis,
Fert neglecturos munera dicta, jocos.
O mens caeca virûm! Rimosae o credita cymbae
Spes, quae paeoniis nititur auxiliis!

Vota quid, aut artes? Baccatur sanguine Gorgon
    Pasta puellarum, pasta patrum lacrimis!
Ast heu! mens refugit! Fati scelus omne peractum est!
    Matri semianimae quodne levamen erit?
Anne juvent miseram tumulo superaddita natae
    Marmora, onyx, icon, florea serta, preces?
Anne huc pullatae, venient quae saepe, sodales
    Mulcebunt matris vulnera lacrimulis?
Quae mihi vis animi, cui me componere vultus
    Par est, deficiat ne miseranda domus?
Impia, dispereas, hominum, Natura, noverca!
    Dispereat quidquid te sinit esse trucem!
Te sonte, inversus ni temporis ordo fuisset,
    Gnatae heu! non facerem justa, sed illa mihi!
Viscera sint patrum cultro.... virguncula morti....
    Virtuti hoc munus.... Laeta sed astra micant!
Taedia quis vitae posthac, quis damna senectae
    Leniet? O dulces, parcite, filioli!....
Vos radii Solis, vos lucida sidera Noctis,
    Verque manet vitae; muta sed illa jacet!
Æque vos omnes, dum quinque fuistis, amavi....
    At Maria heu! longe est, nec repetita redit!
Iuxta matrem illic mea blandula Nata sedebat
    Aureolis nectens florea serta comis....

Lusus hic primos, hic oscula prima labellis
Edere, et incepit nomina nostra rudis!
Sederat hic mensis; illic et Virginis arae,
Flexa genu, violas, vota precesque dabat!
Floret adhuc viola.... At non.... Eheu! currite, nati,
Patris in amplexus.... oscula sunto patri!
Macte cito, citius, cor, percute, rumpe, cor! Illic
Leniter obridens os morientis erat!
Rumpe cito, citius! Mutesces denique! Caelis
Sidera pulcra nitent, gramina pulcra solo!
O blanda, o insons, primo sub flore juventae
Pura columba, patri quam rapuere Dii,
Semper dum vivam, te, filia, suspirabo;
Spe te visendi fit mihi dulce mori!

Panormi XVII. Kalendas Octobres A. MDCCCLXXIV. ingruente typhone.

XXVI.

Nunquam!

ELEGIA II.

Labitur, et Phäeton posthac sua signa recurrit;
  Incitat et Phoebe, qua prius egit, equas.
Cuncta jacent canis primum concreta pruinis;
  Flantibus at Zephyris, postmodo vernat humus.
Flammas dein Æstas intorquens arva perurit;
  Evanti demum tempora sacra nitent.
Semper sic refovens Hyemi Ver, flammea Veri
  Æstas, Autumno saevaque bruma subit.
Omnia sic redeunt.... At non redit una Maria:
  Numquam eheu! patri blandula nata redit!
Æeterno inde flagrant, inde horrent corda dolore....
  Autumni, aut Veris fit mihi nulla dies!

XXVII.

Duo sidera!

Elegia III.

Sidereas animas clara virtute nitentes
Aspera fata Deûm mi rapuere duas.
Una, Pudicitiae sublimis et integra turris,
Stella fuit, columen, dux et amica mea.
Et cecinit, varios fundens moestissima questus,
Ut Sisiae in citreis guttura lusciniae.
Ipsaque, lesbiacos superans dulcedine cantus,
Æterno implevit nomine Bactra, Thylen.
Ipsi pentelico signum de marmore fictum,
Praemia virtutis, condidit urbis amor.
Alma prius renuet Siculis alimenta Cybele,
Ducet ab hesperio Phosporus axe diem;
Augebitque Padus Phasin, vel Sequana Tigrim,
Effluat ex animis quam mihi Josa meis.
Altera, secretis ceu fragrat flosculus hortis,
Quem Zephyri mulcent, Sol fovet, imber alit,
Blanda, penes matrem, crescebat filia, luce
Purior, obtutu, flamine Caelicolum.

Haec amor, haec dulcis spes nostra, haec maxima vitae
Caussa et delicium, liliolumque domi!
Hanc quoque mi rapuit Fati scelerata voluptas....
Hac dempta, horridior fit mihi vita nece!
Donec erunt Charites, Conjux, celebrabere semper,
O decus Ausonidon, aemula Thespiadum!
Tuque, columba patris, Maria, o purissima rerum,
Sospite qua, vellem terque, quaterque mori,
Tu quoque, flos animae, memorabere, nata, quousque
Natorum flebunt ad pia busta patres!

CARMINA GRAECA - LIBER UNUS.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΑ.

—

I.

ΕΙΣ ΚΛΕΙΝΟΤΑΤΟΝ Α. ΓΑΛΛΟΝ

Ἐπίγραμμα.

Ἔστω σοι χρόνιον, βοτρύων παῖς Ὑκκαριαίων,
Πῶμα κλυτοῦ χέλυσι ψαλλόμενον Μελίου.
